



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.LXIII. Sancti Patris Benedicti. M.LXXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

I E S U C H R I S T I A N N U S . M . D . L X I I I .

S a n c t i P a t r i s B e n e d i c t i . M . L X X X I I I .

**I**N Germania Superiori, summam apud omnes auctoritatem & de singulari sua eruditione, spectatissimaque Vitæ integritate opinionem obtinuit hoc tempore, celebratissimus per Germaniam Joachimus Abbas, & Sacri Romani Imperij Princeps Einsidensis. Eum Conventu Raperfuillensi dignum præ omnibus Cantones Catholici, & Ordo potissimum Ecclesiasticus, censuere, quem suo nomine ad sacrum Concilium Tridentinū Legatum mitterent, in qua quidem functione ita se gessit, ut magnam sui admirationem & Venerationem apud omnes Concilij Patres mereretur; strenuamque rei Catholicæ navaret operam, hoc ipso Titulo immortaliter ad omnem posteritatem commendandus. Nec segnius in Romana demerenda Ecclesia & fide Gerwicus noster Abbas Weingartensis, incredibile dictu est, quantos labores quanta generositate susceperit, per absentiam Cardinalis Otthonis Episcopi Augustani, rogatus omnia ejus curare, quin & Cæsari in gravissimis negotijs adesse, cum ipse quacunque veniret, de Religione maximè sollicitus, quæ DEI & Romanæ Ecclesiæ sunt curaret, & procuraret, Hæreticis ut murum æneum se opponeret, Catholicis, & Clero in primis consuleret, nec verbo solum sed scriptis etiam, contra Hæreses ageret, depravatosque ab errore potenter revocare conaretur. *Iuxta Archivum & monim. Weingarti.*

**I**n Germania inferiori, præter Ludovici Blossij ejusque & Bursfeldensis Reformationis exempla viva, multosque insigni vitæ perfectione Prælatos & Religiosos Congregationum illarum lapides angulares, celebratur hoc ipso anno electus in Abbatem celeberrimi illius Atrebatensis Archistèrij S. Vedasti, Venerabilis VIL. Rogerius Montmorentius, vir ut genere, sic virtutibus, utrobique Illustrissimus, eruditione etiam præstans & fervore Religionis; Professus Ordinem est protracta jam ætate, & cum abjectus esse in Domo DEI eligeret, triennio post, Hieronymo incomparabilis Virtutis viro succedere in Abbatia est coactus. Quem honorem, quam minimè affectasset, ex eo facile conjectari est, cum

Joachimus  
Abbas Einsidensis.

Gerwicus  
Abbas iterum laudatus.

Rogerius  
Montmorentius  
Abbas & Vedasti.

inter cætera ejus id observaretur, quod præter virorum tantæ, quantæ ipse erat, Nobilitatis, morem, invitus admodum Procærum Conventibus interesset, animo semper anhelans ad quandam solitudinem ubi grato otio DEO servire liceret. *Ita Ferreolus Loerius &c.* Fuit in Mathematicis studijs versatissimus, Præsul animo candidissimo, totaque liberalis.

Hoc ipso Anno, cœlis iterum destinatur ad triumphos æternos, Benedictina Regulæ cultor & promotor, singularis, præstantissimæ sanctitatis exemplar Beatus Justinianus Bergomensis, Vir litteris & vitæ meritis clarissimus. Hic Nobilis Bergomas, litteris à puero deditissimus, in Philosophicis æquè ac Theologicis, doctissimus evasit. Monachus in celeberrimo sanctissimoque Divinæ Justinæ, amplissimæ Congregationis Archistèrio professus, vigesimo secundo ætatis anno, perfectioris vitæ studio Camaldulum se contulit, inde autem strictiori denuo Montis Coronæ Reformationi, ulteriora semper inquirens, nomen dedit. Contemplationi & orationi addictissimus fuit, sed Chori in primis, & communis orationis diligens, ibi rectus, nullo modo acclinis, tanquam inter Angelos Regum Regi inserviens, complicatis stans manibus, plena voce, summa cum hilaritate ac dignitate laudes Creatori reddere medullitus gestit, affirmans aliquando, dum alium ad hoc ipsum persuaderet atque induceret. *se ne verbum quidem, nedum versum per inadvertentiam amittere.* Ejus insigne illud reverentiæ erga DEUM argumentum fuit, quod vitæ ejusdem scriptor, his verbis refert: *Quoties, inquit, Major aut Prior eligebatur (quorum altero, licet invitus, sed nunquam carebat) strictè ostiario præcipere solitus est, nedum in Choro Laudes Altissimo redderet, sibi aliquid, cujusvis momenti foret, nunciaret. Neque intervenit alicujus magna persona, licet Cardinalis esset, se interpellare præsumeret &c.* [Ex quo reverentiam orationis, & præsentissimi Numinis attentissimam observantiam tanti viri observes, atque imiteris.] Fuit solitudinis amantissimus, studiosissimus: Contemplationi autem tantopere addictus, ut frequenter sine omni cibo diem, noctem sine somno

tran-

B. Justinianus Bergomensis.

Rigor vite.

Attentio in oratione.



transigeret. Unde & frequens illi in ore: *Cibi somnive memoriam in mente bene in DEUM elevatâ, tardius occurrere.* Obijt Vir meritissimus, ipso solemnifefto S. Laurentij Archi-Martyris, cum paulo ante à Patribus, ad mortem fortiter suscipiendam admonitus: *Ego, respondisset, Patres mei, licet non meis meritis, fide non dubiâ, speque firmissimâ, atque misericordiâ fretus Altissimi; mortem quasi Virgo sponsum exspecto.* Scripsit, ut erat doctissimus ad utilitatem posterorum non pauca; quæ incendio, etiam posteris deplorando, in favillas majorem partem abiere; *quam, ait Lucas Ruhenfis, incendij jacturam, qui abriunt, sine lachrymis recordari, aut referre nequeunt, magnum scilicet lucubrationes illas Ecclesie DEI lumen allaturas fuisse, & Heresum modernarum tenebras deleturas affirmantes.* Ex Hist. Camald. Montis Virg. Luca Ruhenfi &c.

IESU CHRISTI ANNU S. M. D. XLIV.  
Sancti Patris Benedicti. M. LXXXIV.

**I**N Galliarum Regnis, inter altissimas & terribissimas tribulationum nebulas, virilis maximè se animus ostentat, Amazonum nostrarum Benedictinarum in diversissimototo Regno provincijs & Monasterijs, dum quanto magis, in evertenda Religione Catholica omnem lapidem movent Calviniani, tanto effervescunt magis in Christi consecrandis vestigijs & rigore Monastico propagando, fragillimi sexus, sed maximianimi Heroinæ nostræ, insuperabiles ab omnium calamitatum iugruentium & obruentium mole, quanto magis necessarijs subinde omnibus destitutæ, tanto magis, ad rigorem dispositæ, ita ut etiam in omni inopia gratulabundæ, majores ad Virtutem experirentur stimulos, & in carnis fame & siti, frigore & nuditate, abundare doctæ, mira solatia Spiritus persentiscerent, imò mori pro Christo & Religione exambirent. Memorabile, sub hoc ipsum tempus, exemplum serenissimæ Renatæ nostræ, Lotharingæ Principis Abbatisæ S. Petri Remensis: Cum enim, per tantam temporum calamitatem, & fames simul ingruerent & pestis, Virago hæc Princeps, egenis & omni penitus ope destitutis altera non solum Thabita exitit, & proprijs multoties manibus,

necessaria abunde ministravit, sed cum pro necessitatibus Monasterij procul abesse cogeretur, & peste quoque infectum suum Monasterium intelligeret, illico relictis omnibus alijs negotijs, de suis sollicita, nequid ejisdem deesset, & vel maximè ut ipsa per semetipsam charissimis filiabus, contempto omni periculo, inferviret, & animo preparato mortì occurrere hortaretur, sanctisque monitis & documentis eisdem & instrueret & solaretur, ad Monasterium contendit, quidquid serenissima ejisdem Mater alijque Cognati & Amici obtenderent, & deprecarentur optans cum suis & pro suis vitam profundere, quam ejus Generositatem & in suas pietatem nulla satis, in tanti maximè generis Principe, posteritas deprædicaverit, & fuerit admiratura. Ex monim. S. Petri, Amando Tribut, &c.

In Hispanijs floret celeberrimus ille Historicus noster Frater Gonsalvus de Jlescas, Monachus & Abbas in S. Fromes, Author Historiæ Pontificiæ & Catholicæ, quæ sæpius jam excusa, æternâ Gonsalvi gloriâ circumfertur & legitur. Ex Jesejo & rer. Hisp. Script.

Nec minore nominis fama celebratur hoc ipso tempore Frater Hieronymus Laureus Cataianus, Montis Serrati Monachus, Vir Religiosissimus & ingeniosissimus, inter Scriptores sui sæculi Princeps, ob admirabilem scribendi methodum & Ordinem referendus, qui de futuris sæculis præcipuè meruit duobus lectissimis & maximi momenti voluminibus: *Silvæ Allegoriarum.* Vid. Jdem Jesejus.

Extinguitur hoc ipso anno Ludovicus de Bœsey insigne sacrae Familiæ nostræ Cisterciensis lumen. & columnen, ex Abbate Maceriatum ob insignia animi corporisque talenta Generalatus honore sublimatus, multo nomine meritissimus & vel maximè libertate Echelesiastica strenuè vindicata cum contra Commendarum pestilentissimam sacris Ordinibus luen, strenuè ageret, & insigne demum contra eisdem Privilegium à Pio IV. impetraret, quod postea Gregorius XIII. confirmavit. Interfuit, magna cum autoritate Concilio Tridentino, eoque absoluto, cum in itinere versaretur,

Felicissima  
ejusdem  
mors.

Amazones  
Benedicti-  
na.

Renata  
Ducissa  
Lothar.  
Abb. S. Pe-  
tri.

Gonsalvus  
de Jlescas.

Hierony-  
mus Lau-  
reus.

Ludovicus  
de Bœsey  
Generalis.